quasi redditâ mihi juventute ita revixit, ut hâc formâ redux ab inferis prodire, meoq; munere fungi potuerim. Nihil proinde restare hic video aliud, quam ut me meaq; Scripta [?]rum florentissimæ Gymnasii hujus Juventuti in hac sermonis mei calce de meliori nota commendem. Ad Te itaq;, ut Te Studiosa Juventutis Corona, me ante converto, quem adspectam, Teq; hortor moneoq;, ut scripta mea, quæ ab interitu vindicata hodie habentur, nocturnâ diurnaq; manu evolvas, diligenter legas, ex his optima quæq; excerpas, inq; succum & sanguinem tuum convertas. Non sane te pœnitebit olei & operis, quod in perlustrandis illis consumes: Nam

Lectio ter repetita mei Tibi proderit olim.

Tantum siquidem commodi ex lectione hac affluet Tibi, quantum vix ullius eloquentiæ campis poterit contineri. Atenim ne plus spondere quam præstare videar, en præsentissimum Tibi Specimen, quod gemino hoc Actu, qui ex meo nomine Sallustianus dici meruit exhibebitur. Fiet utiq; ut ex utriusq; Historiæ tum quæ de Conjuratione Catilinaria, tum quæ de bello Jugurthino, à me conscripta habetur, Concionibus duo distincti formentur declamatorii Actus, quorum quidem prior hodie posterior propediem spectandus dabitur. Quum vero nolim omnes eloquentiæ vires colligi, inq; easdem transfundi, utriusq; historiæ Conciones, sine prævio eloquentiæ Romanæ encomio Actum primum fieri, Suadam voco, eloquentiæ deam; Prodeat ea post me è cortina sua, commendet eloquentiam ad excolendam eam juventutem exhortetur, certosq; ad electos juvenes cum personatos tum minus personatos provocet, qui in Concionibus meæ de Conjuratione Catilinaria historiæ insertis vires eloquentiæ suæ sub vario Schemate periclitentur, eoq; hoc ipso periculo commendati[?]onem me Lipsiaco huic Gymnasio reddant. Age blandiloqua Peitho, fungere tuo munere & ita quidem fungere ut cura posthac cordiq; sit florentissimæ juventutis Lipsiacæ Corona lectio historiarum mearum, dum Ego abscedo: omnesq; valere ac plaudere jubeo.

DIXI.

Scribebat
Christianus B[?]mann
Gorl. Lus.